



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

3. De creatione Regum, quæ sit per electionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

quem institueret heredem regnorum, quæ acquirerat respondit, dignissimum.

Dauid Rex non Adoniam, sed Salomonem natu minorem, regni heredem esse voluit.

Eumenes Rex Romanis regnum testamento reliquit idem fecerunt Nicomedes Rex Bithyniæ, Coctius Alpius Rex, Polemon Rex Ponti.

Decimoquarto quaeritur, An feminae in regno, vel principatu succedant? Respondeo, apud multas gentes esse vsu receptum, vt foeminae filiae succedant, non extantibus filiis masculis. In hoc enim diuersi sunt populorum, & gentium mores, instituta, & leges: in Francia etenim lex Salica celebratur, hoc est, quæ inter Salios olim seruata fuit: vnde & nomen habuit, ne regnum Franciæ, sicut nec terra Saliorum ab hasta, siue à lancea transiret ad fufum, siue colum. Lex sic est: *in terram Salicam foeminae non succedant.* Pro qua lege id facere dicunt, quod dixit Christus Dominus apud Lucam: *Considerate lilia, quomodo crescunt: non laborant, neque metunt:* quibus verbis Philippus Valefius regnum adeptus est. Ferunt enim contra legis Salicæ oppugnatores tunc fuisse conclusum, Lilia Francorum non deberi nisi Nobilibus, qui non laborant: nec deberi, nisi masculis, qui non metunt.

Alii veto negant, vllam vnquam fuisse talem legem Salicam. Sub Philippo Valefio Gallorum rege fuit magna controuersia, num foeminae in regno Franciæ succederent, omnes Galli tunc defendebant causam Philippi, partim ex lege Salica, partim ex consuetudine Francorum. Et pro Philippo proceres sententiam tulerunt, vt testantur, Appendix ad Annales Nangii Historici, Frossantes historicus, Ioannes Iuuenalis, Vrsinus Bellouacensis Episcopus, qui vixit tempore Caroli VI. anno Domini 1375. Certe Baldus illius ætatis, in qua illa quam diximus, agitabatur controuersia, Iurisconsultus celeberrimus in *l. Consulari ff. de feudatoribus* sic scripsit: *Si filia Regis Francorum non succedit in regno, ex rationabili consuetudine Francorum, filius eius, scilicet Dominus Rex Angliæ in elyza recordationis, in regno Francorum nullum ius pratendere potuit, quia in causato non potest esse plus virtutis, quam procedat ab influenti potentia causæ. Et si male successit Regibus Francorum, forte fuit propter aliam causam, quæ erat in mente diuina, non propter illam, quæ est clara pro Rege Francorum.* Sic ille. vbi causam Philippi Valefii defendit non ex lege Salica, sed ex consuetudine Francorum. Galli ægre ferunt, si quis neget vllam esse talem legem Salicam, quia *historici*, inquit, *veteris legis Salicæ apud Francos receptæ meminerunt.* Sigibertus in *Chronico* anni 422. Otho Frisingen. *lib. 4. cap. 32.* Guelmus Nangius in *Annali* anni 425. Eginarthus in *vita Caroli Magni*, Hermannus Comes in *libello, de origine Francorum.* & alii, quos citat *Iacobus Spiegel Salestadiensis in Lexico iura. in verbo, Salica*, videlicet Ioannes Trithemius, Conradus Pertingerus, Paulus Valzuius. Cæterum Angli scriptores aiunt consuetam esse legem Salicam à Gallis gratia Philippi Valefii. Alii volunt, mendose dici legem Salicam pro Gallica. Certe Sigibertus, Otho, Eginarthus, Hermannus Comes, & Nangius, aut qui ad illius Annales Appendixem addidit, testantur, Francos anno 420. vti cepisse duabus legibus, scilicet lege Salica, & Francica, & legem Salicam didicisse quatuor gentis Gallicæ proceres electos ex pluribus, quos Sigibertus nominat Vlogast, Balogast, Salogast, Widogast: & Hermannus dicit duas leges habuisse Francos, Salicam, & Francicam, quibus nullus regum ante Carolum Magnum adicere quidquam tentauit. Sed hi Auctores non meminerunt legis Salicæ, quæ statuit, ne foeminae in terram Salicam succedant: nam leges Salicæ sunt multæ. Iudicatum itidem est contra filiam Ludouici Hutini vxorem Caroli Comitis Ebroicensis: quæ post mortem patris sola superstes, eo sine masculis mortuo, petebat regnum Franciæ, & Nauarræ, cuius rex erat etiam pater, statutumque secundum consuetudinem est, eam repelli à successione in regno Franciæ, quod illud non nisi masculis deferretur: & delatum est regnum

Philippo Longo eius patruo fratri Ludouici Hutini: datum autem est illi filia regnum Nauarræ, quod iure successione transferri ad hæredes cuiusque sexus solet. Deinde cum Philippus Longus Rex mortuus esset, relicta filia, quam dederat in matrimonium Comiti Atrebatensi, alius frater eius Philippus dictus Carolus Pulcher, in regno successit exclusa filia. Et ita tres fratres, scilicet Philippi Pulchri, quem Philippus III. filius Sancti Ludouici genuerat, nimirum Ludouicus Hutinus, Philippus Longus, & Carolus Pulcher, regnum ordine successione, non extantibus filiis masculis, qui decesserant, obtinuerunt.

Carolus Pulcher cum obiisset relicta vxore prægnante, Philippus Valefius administrator regni constitutus est, nepos Philippi III. filii Sancti Ludouici descendens ex Carolo Valefio filio Philippi II. excluso Odoardo III. eius nominis rege Angliæ ex Isabella filia ipsius Caroli Pulchri, quæ superstes erat generato, quamuis propinquo esset Isabella, quoniam Isabella erat filia Caroli Pulchri regis demortui, & Philippus erat patruus eiusdem Caroli Pulchri. Mortuo deinde posthumo Caroli Pulchri, excluso Anglo, Philippus Valefius coronatus est Rex ex procerum iudicio, & sententia cui subscripsi: Odoardus Rex Angliæ. Duo fuerunt exempla ante Carolum Magnum, quibus ostenditur, foeminas in Regno Franciæ non succedere.

Primum exemplum est: Childebertus Rex Franciæ liberos masculos non habuit, sed filiam, frater ei fuit Clotarius. Childebertus itaque grandis natu senio, & ægritudine grauis sponte sua regno cessit, & Clotarius frater eius, & deinde liberi prætermissa foemina filia Childeberti, in regnum successerunt, cum paulo post obiisset ipse Childebertus. Alterum exemplum. Chereberto Rege Franciæ mortuo, Sigebertus, Chilpertus, & Guntianus fratres eius, Regnum inter se diuiserunt exclusa superstite filia.

Hæc duo exempla videntur probare, legem Salicam in Francia fuisse, siquidem tunc foeminae à Regno exclusæ fuerunt, & cum id tunc factum non sit ex consuetudine, quæ nulla eo tempore erat, videtur factum esse vi legis. Quamuis vero lex diuina & vetus extantibus filiis masculis, filias ab hæreditate parentum excluderet, non tamen idcirco filia ab hæreditate repellentur, si nullus filius adesset. Item filia in feudo non succedunt: dicitur enim in *cap. 1. de his, qui feudum dare possunt, lib. 1. Feudorum*: [Licet filia, vt masculi patribus succedant, legibus tamen à successione feudi remouentur, similiter & eorum filii, nisi specialiter dictum fuerit, vt ad eas pertineat.] At vero apud gentes, si paucas excipias, non legimus filias ab hæreditate parentum prohiberi, cum filius masculus nullus est. Solum apud Lacedæmonios fuit lex similis legi Salicæ, qua vtuntur Galli: ait enim *Æmilius Probus* in vita *Agelilai*. *Mos est à maioribus Lacedæmonis traditus, vt duos haberent semper reges nomine magis, quam Imperio ex duobus familiis, Procli, & Euristhenis: qui principes ex progenie Herculis Sparta reges fuerunt: horum ex altera in alterius familia locum fieri non licebat. Itaque vterque suum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qui natu maximus esset ex liberis eius, qui regnans decessisset. Sin uirilem sexum non reliquisset, tunc deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Quidquid sit de lege Salica, constat in regno Nauarræ, Scotiæ, Castellæ, Angliæ, Hierosolymæ à potestate Saracenorum recuperatæ, foeminas non extante virili prole succedere, vt inferius exemplis ostendam.*

C A P. III.

De creatione Regum, qua fit per electionem.

PRIMO quaeritur, Quot modis creentur Reges per electionem? Respondeo, multis modis: Aut enim fortè deliguntur, aut creantur electione omnino libera, hoc est, non restricta ad certum genus personarum, aut restricta,

ita ut non sit simpliciter libera, & absoluta. Olim sex illi primi Romanorum Reges per electionem creati sunt. Tarquinius enim Superbus cognomento, regnum rapere maluit, quam sibi oblatum expectare. Postquam etiam Imperatores regnare cœperunt, partim quidem à senatu, partim ab exercitu militum, partim à Prætorianis militibus, partim à Populo, partim ab ipsis Imperatoribus eligebantur. Nunc Poloni in Comitibus Procerum, & Nobilium reges eligunt. Olim in Italia Reges Longobardorum electione creabantur, *ut patet ex historia Sigonii de regno Italia.* In Hispania quoque antequam occuparetur à Mauris, reges Gothorum, suffragio Procerum, & populi eligebantur. Vnde in Concilio Tolitano V. can. 3. dicitur: *Si quis ad Regie Maiestatis ambitu pervenire sustigerit, quem electio hominum non proficit, nec Gothica gentis nobilitas ad hunc apicem trahit, sit consortio Catholicorum priuatus, & diuino anathemate condemnatus.* Hæcibi. Porro electio aliquando est populi, siue senatus, aliquando Procerum, aliquando Nobilium, consensu tamen expresso, vel tacito populi liberi superiore in temporalibus non habentis.

Secundo quaeritur, Quis in Regem in Christianorum regno eligi iure non possit? Respondeo, aliquos iure naturali, & diuino, vel Canonico impediri, ne in reges eligantur. In primis

Is, qui natura demens, vel insanus est, iure naturali ineptus est ad regnum administrandum, cum perpetuo sit mentis inops. Deinde in electione sui consensum præbere non potest: & tamen is, qui eligitur ad officium aliquod faciendum, electionem acceptam, & ratam habere debet: non enim nisi volens eligitur.

Item iure diuino naturali in Regem eligi communiter nequit is, qui Christianus non est: sequuntur enim per multa absurda cõmuniter, & ideo per Mosen dixit Deus: *Eum constitues (scilicet regem,) quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Fratrem eo loco Deus appellat eum, qui eiusdem est religionis.

Idem ipsa ratio naturalis ostendit: nam periculum esset, ne Christianus populus, vel fraudibus, vel insidiis deceptus, vel vi, & minis coactus ad Paganismum, vel superstitionem gentium traheretur. Item Paulus Apostolus Corinthios reprehendebat, quod lites inter se haberent, & ad iudices Paganos, siue à fide, & religione Christi alienos vocarent fratres, & non potius vulgarem hominem ex ipsis aliquem huic negotio destinarent.

Quæres, An Hæreticus possit in regem eligi? Respondeo, eodem iure diuino naturali Hæreticum communiter prohiberi, quo minus eligatur Rex: primum, quia licet Baptismatis aquis ablatus sit, nihilominus extra Ecclesiam est, quia à fide Catholica defecit. Deinde quia Christus Dominus dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus:* & B. Paulus Timotheo præcipit: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem denota: & S. Ioannes: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non afferit, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis, qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Accedit, quod reges sunt Ecclesiarum protectores, propugnatores, & defensores: at Hæreticus qua ratione erit Ecclesiarum propugnator, & defensor? Ius etiam naturale vetat, ne Hæreticus eligatur, etiam si excommunicatus non esset, ob id scilicet, ne populum subuerat: sermo enim Hæreticorum, Paulo teste, ut cancer serpit.

Iure quoque Canonico Rex eligi non potest, qui est excommunicatus, in cap. *Venerabilem, de elect.* ubi cum Pontifex dixisset, Conradum eligi in Romanorum Imperatorem non potuisse, ita subiunxit: *Sunt enim notoria impedimenta Ducis, scilicet excommunicatio.*

Item excommunicatum publice denuntiatum vitare iure Canonico debemus, ergo eum in Regem eligere iure non possumus.

Tertio quaeritur, Quomodo & quando possit forte Rex eligi? Olim aliqui reges fuerunt forte electi. Myr-

silus Lesbius libro de Bello Pelasgico refert, Anim Mœonium, genitis Lydo, & Tuem filius, cum regnum neque duos caperet, neque sterilitas ingentem multitudinem pateretur, forte iacta, Lydum successorem designasse. Iustini lib. 1. & Herodo. l. 3. narrant Darium Hyftalpis filium, quasi sorte quadam Regem Persarum creatum fuisse. Nam cum septem viri, Magos fratres, qui regnum per fraudem occupauerant, occidissent, & deinde contenderent inter se, quis illorum Rex esset futurus, tandem conuenerunt in hoc, ut sub ortum solis equos confunderent, & cuius equus vocem primus edidisset ad ortum solis, is regnum obtineret. Et Darii equus auxilio, vel arte, primus oriente Sole hinnitum edidit: & tunc ceteri desilientes equis, cum Persarum Regem consalutarunt.

Memorat idem Iustinus libro undecimo, Regem Phrygum nomine Gordium, electum fuisse hunc in modum: Post nuptias, inter Phryges orta seditio est: consulentibus vero per vim discordiarum, Oracula responderunt, Rege in discordiis opus esse? Quærentibus deinde de persona Regis, responsum est, Regem eum salutare, quem reuersi in templum Iouis primum euntem in plaustrum reperissent. Obuius illis fuit Gordius: quem statim Regem consalutarunt. Scribit Herodotus libro 4. in principio, Scytharum primo Regi Targiæo tres filios fuisse, quibus regnantibus, demissa in Scythicam Regionem fuerunt aratrum, securis, iugum, phiala, omnia ex auro facta, in quibus fortem Monarchiam veteris exitus comprobauit: siquidem cum illa primus omnium in spexisset natum maximus, & vellet auferre, arsisse fertur. id quoque secundo accidisse, quare ambobus ab ardenti auro submotis, cum tertius natum minimus accessisset, aurum fuisse extinctum, & ab illo expectatum, & ita regnum ad filium natum minimum peruenisse.

Describit etiam Cranzius lib. 1. *Vandalia*, electionem regis Bohemæ Primislai in hunc modum. Libusla Regina Bohemæ coacta a proceribus eligere sibi maritum, respondit, eum se electuram (nescitur autem an oraculo admonita, an ut talem rusticum sibi eligeret, cui imperare posset) iussit ornari equum gradatium, cui proficiscens insidebat, illum sequi præcedentem proceres iubet, apud quem ille consisteret quiescens, si ferrea de mensa illum refici conspicerent, Regem suum consalutarent. equus ornatus per campos abibat solus insequente turba, donec in meridie deprehenderet hominem ex labore fessum, sic refectionem in agro quem arabat, reponentem, qui verterat aratrum, & ferrum splendens ex sulco, ac in planitiem positum, pro vase habebat. Quem cum cerneret iumentum, stetit immobile. Tunc vero proceres eum coegerunt equum ascendere, & duxerunt ad Reginam: quem illa accepit in maritum: & hic dictus est Primislus. Hæc eadem refert Aneas Sylvius lib. de *Historia Bohemica* cap. 6. Teste Plutarcho Orat. 2. de *Fortitudine Alexandri*, apud Argiuos defecerat Heraclidarum genus, ex quo regem habere soliti sunt. Requirentibus vero Argiuis Regem, oraculum respondit, Aquilam non statutam. Et paucis post diebus aquila volitabat: & demittens se, confedit in ædibus Ægonis, & ita Ægon creatus est Rex.

Sorsitidem cursui commissæ est in electione regis Elidis. Euthymion enim secundus rex Elidis, tres filios habuit, quibus proposuit cuius certamen in Olympicis Victor fuit Epeus, ac proinde Rex constitutus est, & ab eo populi dicti sunt Epei. *Pausanias* lib. 5.

Porro electio per sortem cæca, & incerta est, ac proinde non nisi Dei instinctu, & voluntate probata Regibus, & principibus conuenit. Samuel 1. Reg. cap. 10. sorte diuina Saulem elegit. *Applicuit*, inquit, *Scriptura*, omnes tribus Israel, & cecidit sors super tribum Beniamin, congregato populo per tribus, & familias. Rursum applicuit tribum Beniamin, & cecidit sors super cognationem Metri, & peruenit usque ad Saulum filium Cis. Certe sortibus in Regum, & Magistratum etiam Ciuiliu electione vtendum non est, nisi forte duo, vel tres prius suffragiis eligantur, de quorum prudentia,

sapien-

sapientia, consilio, & virtute prius confiterit: inter quos, quia pares sunt, poterit fors mitti. Sic enim in iudiciis, quae ambigam causam habent, quia contententium partes rationes sunt, fortibus controversia dirimi potest.

Quarto quaeritur, An Romani Pontificis auctoritate possit Rex institui, vel creati? Respondeo, posse Papam nomen, diadema, ius, & titulum regium dare in certis quibusdam casibus. Primo, cum princeps est Romanae Ecclesiae nomine, & iure feudi subiectus: tum potest Papam eum Regem instituere. Sic Sicilia Rex est institutus ab Innocentio 2. Rogetius 2. *ut testan. Sigon. Masrolycus Abbas, & Phazellus*, cum tamen antea esset Comes Siciliae, Dux Apuliae, & Calabriae. Sic etiam est creatus Rex Neapolitanus auctoritate Clementis IV. Carolus Andegavensium, & Prouinciae Comes, frater S. Ludouici Regis Francorum, *ut constat ex Sigonio, & Masrolyco Abbate.*

Secundo, cum Rex, vel princeps vili superiori subiectus regnum, vel principatum offert Romanae Ecclesiae in honorem, & cultum sancti Petri, & vult sceptrum, & diadema, ac titulum regium accipere, & habere à Rom. Pontifice. Sic accepit, & habuit S. Stephanus Hungariae Rex. *Bonfinius de rebus Hungariae.*

Tertio, cum Papa abrogat Regium, & titulum regium, ob haeresim, vel schisma, vel alia crimina tali poena digna, potest alteri Catholico principi huiusmodi ius, & titulum regium conferre. Sic Leo III. ob crimina Imperatorum Constantinopolitanorum, Carolum Magnum occidentis Imperatorem creauit. *Blondus, Platina, Sabell. Nauclerus, Sigonius*. Sic etiam auctoritate Papae, ob tyrannidem Berengarii, factus est Rex, & Imperator Romanorum Otho I. cognomento Magnus. *Blond. & ceteri supra cit. Auctores.*

Quarto, cum tota aliqua Paganorum prouincia libera est, id est, superiorem non habens, sponte sua, Christi fidem, & religionem amplectitur, potest Papa ei praesicere Christianum Principem cum iure, & titulo regio, qui eos Christianos tueatur, & defendat.

Quinto, si rex Christianus sine sumptibus, & impensis aliquas Paganorum Prouincias ad Christi fidem conuertat, & Princeps eorum Ethnicus nolit Christianis dominari sine iniuria Saluatoris, tunc auctoritate Summi Pontificis citra scandalum, potest principatu & regno priuari, & Christianus princeps constitui, cum iure, & titulo regio. nam eadem ratione, si aliter coniugum ex Paganismo ad Christianismum conuertatur, & nolit alter coniugum Christianos cum eo habitare sine iniuria Creatoris, liber est à matrimonii vinculo coniugum conuersus ad fidem.

Sexto, ob haeresim, vel schisma, vel alia crimina petnitiosa communi saluti, & bono reipublicae potest Summus Pontifex Principem siue regem Christianum priuare iure, & titulo regio, & deinde concedere, siue restituere. Olim Gregor. VII. Boleslaum Poloniae regem eo nomine II. diebus excommunicationis deuouit, & solenni ritu regio titulo priuauit, eo quod occiderat impie Stanislaum Cracouien. Episcopum, anno Domini 1179. Edixit quoque ne Episcopi in posterum regem aliquem iniussu Roman. Pontificis inungerent, & coronarent: vnde ex eo tempore Principes dicebantur, non reges, qui in Polonia dominabantur. Postea à Ioan. XXI. imperarunt Poloni, vt Vladislaus regium diadema, nomen, & titulum haberet. *Cram. de rebus Polon. partim lib. quarto. partim lib. undecimo.*

Quinto quaeritur, An Imperator Romanorum possit regem creare? Respondeo, si princeps aliquis, vel Dux fuerit Imperatori nomine, & iure feudi, vel aliquo alio titulo subiectus, posse Imperatorem ei regium nomen, & titulum, ac diadema concedere. Potest itidem regiam coronam, & titulum dare principi, qui petit ab eo regium diadema, & titulum. Sic olim reges Armeniae, & Cypri coronabatur auctoritate Imperiali, *ut ait Craetzius in Saxonia lib. 7. cap. 12.* quia id ipsi reges ab Imperatore efflagi-

tauerant. Otho III. Boleslaum eo nomine primum Poloniae regem declarauit, regio diademate donatum, anno salutis 1001. *Cramerus de rebus Polon. lib. 3. Henr. IV. V. V. ratislaum Boemiae Ducem Regem Boemorum instituit ann. Domini. 1086. An. Sylu. in Historia Boemorum cap. 22. Cram. lib. 5. de rebus Polon.*

Sexto quaeritur, An regnum possit praescriptione comparari? Respondeo, distinguendum esse. Aut enim sermo est, de eo, qui per vim, aut bellum iniustum regnum occupauit, & hic nunquam potest regnum praescribere, quoniam semper est male fidei possessor. Vnde *Institut. de Vscapio. §. Furtina*, dicitur: *Furtina quoque res, & qua vi possessa sunt, nec si praedicto longo tempore bona fide possessa fuerint, vscapi possunt.* nam futuriarum rerum lex 12. Tabularum, & Lex Attilia inhihent vscapionem vi possessarum: Lex Iulia, & Plautia: aut sermo est de haerede, qui in regno suorum Maiorum successit: & is si mala fide successit, videlicet sciens partem esse regnum à suis Maioribus per vim, aut bellum iniquum, nunquam etiam praescribit: neque enim cum mala fide praescriptio procedit. Quod si is haeres bona fide in regno succedit, potest praescribere longissimi temporis spatio, nimirum, triginta, aut quadraginta annorum, *ut colligitur ex Glossa Institut. de Vscapio §. Furtina, in verbo, Praedicto longo tempore, & ratio huius est, quia in bona fide succedit, & titulum habet, videlicet hereditariam successionem: putat enim haeres bona fide, se à suis maioribus regnum accepisse. Obiicies, Institut. de Vscapio. §. Furtina, haberi, rerum futuriarum, & vi possessarum vscapionem esse non posse, non solum hoc sensu, vt ipse fur, vel qui per vim possidet, vscapere non possit, sed nec vllus alius, quamuis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa accepit, vscapiendi ius habet. Respondeo, cum Glossa loco supra citato, vscapiendi ius non haberi tempore trium annorum, vel decem, vel viginti: posse tamen vscapere spatio triginta, vel quadraginta annorum.*

Secundo obiicies: Ex dictis colligi, Turcas, & Saracenos posse praescribere regna Christianorum, quae possident; quia etsi primi Turcae, vel Saraceni ea per vim, vel bellum iniquum occuparunt: ij tamen qui modo regnant, illis iure hereditario successerunt: Respondeo, eos nihilominus esse male fidei possessores: sciunt enim fuisse regna Christianorum, & absq; vlllo iure fuisse Christianis erepta: Sed vt dixi, cum mala fide praescriptio non currit.

Dices; etiam Gothi per bellum iniquum Hispanias, & Franci Gallias, Angli Britanniam, & Hungari Pannoniam occuparunt? Respondeo, huiusmodi regna praescriptione comparari potuisse, quia bona fide reges successerunt, cum notam illis non esset ea regna fuisse à suis maioribus, vel per vim, vel per bellum iniustum occupata.

Sciendum etiam est, regna vi, vel bello iniusto acquisita, posse bona fide possideri, si communibus reipublicae suffragiis Rex ipse denuo instituat, & creetur: nam populus quamuis initio vim passus fuerit, successu temporis tamen sciens, ac volens omni metu, & vi sublata potest principem vel regem denuo suscipere. Sed tunc regnum praescriptione non acquiritur, sed populi suffragis, & communi procerum consensu.

C A P. IV.

Qua sint iura Regum, qua dicuntur Regalia.

PRIMO quaeritur, An id quod scribitur 1. Regum capit. 8. contineat ius regale. Verba scripturae haec sunt: *Hoc erit ius Regis qui regnatus est in vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & praefores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armo-*